

di, licet non acquirat ejus dominium, ex quo non acceperit ipsam a vero domino, acquirat tamen usucapiendi conditionem, cum tales tituli ex natura sua tendant ad domini translationem. (5. Alii autem tituli, qui ex natura sua non tendunt ad domini translationem, sicuti commodatum, depositum, et precarium, et hujusmodi, neque etiam usucapiendi conditionem præbent, nihilque prosunt ad præscriptionem. Sic communiter doctores.

(6. Ad faciliorem horum titulorum intelligentiam datur hic pro omnibus explicatio tituli *Pro hærede*. Titulus enim *Pro hærede* tunc juvat ad præscriptionem, quando defunctus rem bona fide possedit ut suam, et necdum tempus præscriptionis complevit; in tali enim casu possessio defuncti continuatur in hærede, textu expresso in § *Divina*, instit. *De usucapionibus*, ibi: « Diutina possessio, quæ prodesse cœperat defuncto, et hæredi bonorum possessori continuatur; » et concordant l. *Dolia*, § *Eum qui*, ff. *De contrahend. empt.*, l. *Pomponius*, § 1, ff. *De acquirend. possess.* Hinc hæres alicujus bonæ fidei possessoris, qui rem immobilem alterius privati quinquennio cum titulo, v. g. emptionis, donationis, legati, et hujusmodi possedit, potest additis aliis quinque annis suæ possessionis æquali bona fide continuatæ præscriptionem inter præsentem complere. Secus autem esset, si defunctus talem rem detinisset, veluti sibi commodatam, locatam, oppignoratam, vel apud se depositam; tunc enim ipsius hæres nunquam talem rem præscribere poterit, quantumvis bona fide, ac jure hæreditario ipsam possideat, quia cum hæres succedat in omne jus defuncti, textu expresso in l. *Cum hæres*, ff. *De diversis, et temporal. præscr.*, et ex regul. 46, *Juris in 6*: « Is, qui in jus succedit alterius, eo jure, quo ille, uti debet: » non potest tenere illam rem, nisi eo modo, ac jure quo ipsam tenuit defunctus, scilicet per modum commodati, locati, pignoris, et depositi, et hujusmodi, adeoque cum defunctus nusquam bona fide possederit illam rem ut suam ullo titulo ad præscriptionem requisito, et sufficienti, neque id poterit suus immediatus hæres.

(9. Titulus specialis, v. g. emptionis, donationis, transactionis, legati, et hujusmodi requiritur solummodo in duobus casibus. Primo scilicet, ut præscriptio compleatur breviori, seu ordinario tempore. Cum aliquo enim ex dictis titulis bona immobilia privatorum præscribuntur solo spatio decem annorum inter præsentem, et viginti inter absentes, textu expresso in § 1, instit. *De usucapionibus*. Sine ullo autem ex dictis titulis talia bona non præscribuntur, nisi spatio 30 annorum, l. *Sicut in rem*, cod. *De præscriptione*. 30 vel 40 annorum. Secundo, requiritur titulus, quando jus commune resistit præscribenti, vel alias habetur præsumptio contra ipsum, textu expresso in c. 1, *De præscriptionibus*, in 6, ibi: « Licet ei, qui rem præscribit ecclesiasticam, si sibi non est contrarium jus commune, vel contra

eum præsumptio non habeatur, sufficiat bona fides, ubi tamen est ei jus commune contrarium, vel habetur præsumptio contra ipsum, bona fides non sufficit, sed est necessarius titulus, qui possessori causam tribuat præscribendi, nisi tanti temporis allegetur præscriptio, cujus contrarii memoria non existat. » Ubi, ut vides, extra hos duos casus sufficit ad præscriptionem bona fides etiam sine speciali titulo, et concordat etiam textus in c. *De quarta* 4, c. *Ad aures* 9, et c. *Quoniam* 20, *De præscript.*, ubi nulla proposita fit mentio de titulo, et tamen interveniente bona fide, et possessione, legitimo tempore continuata, admittitur præscriptio.

(10. Præscriptio autem immemorabilis ea dicitur, cujus contrarii, vel initii memoria non exstat, et contra quam nihil unquam actum, visum, vel auditum fuerit: l. *In summa* 2, § 7, ff. *De aqua et aquæ pluvie arcendæ*, l. *Hoc jure* 3, § 4, ff. *De aqua quotidian.*, c. *Super quibusdam* 26, *De verbor. significat.*; Rota recent., part. v, tom. 1; decis. 126, num. 22, part. x, decis. 253, n. 8, part. 12, decis. 279, n. 14 et 15, part. xiii, decis. 70, num. 65, et sæpe alibi. (11. Præscriptio immemorabilis habet vim veri, et legitimi tituli, et privilegii, et propterea illam habens potest allegare meliorem titulum de mundo, per text., in citatis juribus, cum similibus: Rota recent., part. i, decis. 677, num. 4; part. iii, decis. 489, num. 2; part. iv, tom. 1, decis. 542, num. 2; part. v, tom. 1, decis. 249, num. 4; part. vii, decis. 249, num. 2, et sæpissime alibi. (12. Præscriptio immemorabilis probari debet per testes, qui saltem per 40 annos testentur de visu, vel sensu proprio, ac de cætero etiam a suis majoribus semper audierint rei statum sic fuisse, et sic tales testes debent habere ætatem saltem annorum 54, ita ut de principio visus habuerint saltem annos 14. Rota, part. i, decis. 254, num. 1; part. ii, decis. 248; part. iii, decis. 432, num. 1 et 2; part. iv, tom. 1, decis. 47, num. 2; part. vii, decis. 56, num. 3; part. xi, decis. 163, num. 16, et sæpissime alibi.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(13. Conter hic omnino Dunod *De præscript.* part. 1, c. 9, qui materiam recte expendit.

§ IV.

Possideas juste.

Quoad ea quæ concernunt possessionem ad præscriptionem requisitam, ejusque dormitionem, et interruptionem, et restitutionem in integrum contra eam.

(1. Ad præscriptionem requiritur possessio, quæ sit tempore a jure constituto legitime continuata. *Communis* textu expresso, in l. *Sine possessione* 25, ff. *De usurpationibus et usucapionibus*, ibi: « Sine possessione usucapio contingere non potest; » et cap. *Sine possessione* 3, *De regul. juris*, in 6, ibi: « Sine possessione præscriptio non procedit, » cum similibus. Ad præscriptionem requiritur talis possessio, ut quis rem proprio nomine possideat, non autem alieno, quia is, qui alieno nomine possidet, revera

non est proprie possessor, sed alter, qui per ipsum possidet, ut expresse habetur in c. *Cum venissent* 9, *De restitut. spoliat.*, ibi: « Cum sicut certum est, is possideat, cujus nomine possidetur; » et Glossa *ibid.*, verb. *Cujus nomine*, cum pluribus juribus ibi ab ipsa citatis, et c. *Si diligenti* 17, *De præscriptionibus*, ibi: « Cum . . . is possidere dicitur, cujus nomine possidetur; » et Glossa *ibid.* verb. *Cujus nomine*, cum aliis juribus ibi adductis. Et sic tenet communis doctorum.

(3. Ad præscriptionem requiritur, et sufficit sola possessio civilis sine naturali. *Communis*, teste Pirrhing, lib. ii *Decret.*, tit. 26, num. 39. Et ratio est, quia ad præscriptionem requiritur, et sufficit talis possessio, ex qua sequi possit translatio, sive acquisitio domini; l. *Sine* 25, ff. *De usurpat. et usucapionibus*; l. *Acquiritur* 10, § *Ultim.*, ff. *De acquirend. rer. domin.*, cum similibus, sed ex sola possessione civili sine naturali sequi potest translatio, sive acquisitio domini: absens enim, quem constat solam civilem possessionem animo retinere, possidet quantum ad hoc, ut usucapio continueatur: l. *Servi* 17, § *Ultim.*, ff. *De furtis*, l. 1, § *Per servum, qui in fuga*, ff. *De acquirend. possession.*: ergo, etc.

(4. Non sufficit autem ad præscriptionem sola possessio naturalis sine civili. *Communis*. Et ratio est, quia, ut dicebatur, ad præscriptionem requiritur talis possessio, ex qua sequi possit translatio, sive acquisitio domini, cit. l. *Sine* 25, *De usurpationibus et usucapionibus*, l. *requiritur* 10, § *Ultim.*, ff. *De acquirend. rer. domin.* Sed ex sola possessione naturali sine civili, non potest sequi domini acquisitio, cum desit animus possidendi rem; alioquin non solum naturaliter, sed etiam civiliter possideretur; ergo, etc. Tum quia depositarius, et colonus possident naturaliter, et tamen non præscribunt, eo quod non possideant civiliter, ergo non sufficit ad præscriptionem sola possessio naturalis sine civili.

(5. An autem ad præscriptionem sufficiat possessio civilissima? Variant doctores. Negativam sententiam tenent Felinus, in cap. *Illud*, col. ultim. *De præscriptionibus*; Baldus, tom. XVII *Tractatum*, tract. *De præscriptionibus*, part. iii, principal. circa fin.; Romanus, singul. 401. Affirmativa autem sententia est probabilior, per text. in l. *Raptores*, cod. *De episcop. et cleric.*, ibi: « Ecclesia vero omnem proprietatem, et plenam possessionem earundem rerum nostro habeat beneficio. » Et sic tenent Glossa fin., in cap. *Contingit* 9, *De dolo et contum.* Covarruvias allegans communem doctorum cum Reiffenstuel, loc. cit., n. 190. Et ratio est, quia possessio civilissima censetur ministerio legis vera possessio, cit. l. *Raptores*, cod. *De episcop. et cleric.*; Jason., in l. *Possessio*, n. 72, ff. *De acquirend. possess.*, ergo eundem sortitur effectum ac possessio civilis, adeoque, etc.

(6. Quid autem sit possessio naturalis, civilis, et civilissima? Vide verb. *DOMINIUM*, art. 1, a num. 23, ad 27.

(7. Quæ hic dicuntur de possessione, intelligenda etiam sunt de quasi possessione. Nam incorporalia, seu jura proprie non possidentur, sed quasi possideri dicuntur; l. 3, ff. *De acquirend. vel amittend. possess.*, l. *Servum*, § *Incorporales*, ff. *De acquirend. rer. domin.*, et l. *Sequitur*, § 27, ff. *De usurpation. et usucapionibus*, c. *Cum Ecclesia* 3, *De causa possess. et proprietat.*, et Glossa *ibidem*, verb. *Quasi possessionem*, cap. *Si diligenti* 17, *De præscriptionibus*; et Glossa *ibidem*, verb. *In quasi*, ubi expresse habet: « Hoc ideo dicit, quia incorporalia non possidentur, sed quasi possidentur. »

(8. Præscriptio tunc dicitur non procedere, seu non currere, quando ex defectu alicujus conditionis ad ipsam requisitæ ipsa nec incipit, nec incipere potest; sic intervenit, quando deest ei legitima possessio, textu expresso in cap. *Sine possessione* 3, *De regul. juris*, in 6, ibi: « Sine possessione præscriptio non procedit, » et l. *Sine possessione* 25, ff. *De usurpationibus et usucapionibus*, ibi: « Sine possessione usucapio contingere non potest. » Item quando deest ei bona fides, textu expresso in c. *Possessor* 2, *De regul. juris* in 6, ibi: « Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit; » cap. *Quoniam* 20, *De præscriptionibus*, ibi: « Synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam canonica, quam civilis. » Item quando deest ei verus titulus: textu expresso in l. *Ultima*, cod. *De usucapion. pro hærede*, ibi: « Usucapio non præcedente vero titulo, procedere non potest; » et sic de similibus.

(9. Præscriptio jam inchoata dicitur dormire, quando cessat currere tempus propter impedimentum adveniens, et interim suspensa manet, sive quiescit, donec, cessante illo impedimento, denuo currat, et compleatur, computato tempore præcedente et subsequente dictum impedimentum. Et sic præscriptio dicitur dormire tempore hostilitatis, seu belli, textu expresso in cap. *Transmissa* 10, *De præscriptionibus*. Item dormit præscriptio adversus Ecclesiam vacantem, seu destitutam prælato, aut rectore suo, cap. *Novit ille* 1, et cap. *Constitutus* 3, *Ne sede vacante*, cap. *Placuit* 1, cap. *De quarta* 4, et cap. *Auditis* 15, *De præscriptionibus*. Item dormit contra Ecclesiam tempore schismatis, cap. *Placuit* 1, et cap. *Cum nobis* 14, *De præscriptionibus*. Item dormit præscriptio contra pupillum, durante ætate pupillari, non item cum ad pubertatis annos pervenit; l. *Sicut in rem* 2, cod. *De præscript.* 30 vel 40 annorum, et authent. *Nisi triennale*, cod. *De bon. matern.* Item dormit præscriptio contra de jure impeditum, et non valentem agere; l. *Super annali* 1, § final., cod. *De annuali exceptione*.

(10. Præscriptio dicitur interrumpi, quando ipsa semel legitime cœpta ex aliqua causa ita cessat, ut totum præcedens tempus ipsius omnino exstinguatur, ita ut sublata tali causa, seu cessante tali impedimento, dictum tempus quoad præscriptionem non amplius reviviscat, et ad nihil inserviat, sed debeat

de novo præscriptio inchoari, et compleri per totum tempus ad præscribendum requisitum, nullatenus computato tempore illo præcedente interruptionem. *Communis*, et colligitur ex cap. *Illud* 8, De præscriptione, ubi in fine expresse dicitur: « Etsi probata fuerit interruptio, præscriptio non tenebit. » (11. Ubi, ut vides, in hoc differunt dormitio, et interruptio præscriptionis, quod in dormitione adhuc computatur tempus ipsam præcedens, et coniungitur cum tempore ipsam sequente ad complendam præscriptionem; in interruptione autem nullimode computatur tempus ipsam præcedens, sed solummodo tempus sequens.

(12. Interruptio præscriptionis est duplex, scilicet naturalis, et civilis: sic Glossa communiter recepta in cit. cap. *Illud* 8, De præscriptionibus, verb. *Interruptio*. Naturaliter interruptio præscriptio, quando incipit aliquid deficere ex his, quæ necessario ad præscriptionem requiruntur, ut si amittatur possessio, quia v. g. per inundationem maris, aut fluminis occupatus est fundus; l. *Possideri* 3, § 17, ff. *De acquirend. vel amittend. possess.*, l. *Qui universas* 30, § 3, ff. *Eodem*, et Glossa cit., in cap. *Illud* 8, De præscriptionibus, verb. *Interruptio*; vel denique si bona fides cesset, et interveniat mala fides, interveniente rei alienæ notitia; nam bona fides necessario requiritur, non solum ad inchoandam, sed etiam ad continuandam præscriptionem; cap. *Vigilanti* 5, et cap. *Quoniam* 20, De præscriptionibus; et cap. *Possessor* 2, De regul. juris in 6. *Civiliter* autem interruptio præscriptio ex juris dispositione per actum aliquem iudicium interpositum, v. g. motæ litis coram iudice competenti super re ab altero possessa; l. *Motæ litis* 26, cod. *De rei vindicat.*, l. *Si Pater tuus* 7, cod. *De statu defunctorum*, cum similibus.

(13. Præscriptio autem, seu usucapio triennalis per litis contestationem non interruptitur, sed continuatur et perfici potest, etiam durante lite, ita tamen, ut quamvis post lapsum interea triennium adversus possessorem sententia feratur, ipsa res possessa debeat domino, pro quo iudicatum est, restitui, non obstante usucapione; l. *Pro emptore possidet* 2, § 21, ff. *Pro emptore*; l. *Si post acceptum* 18, ff. *De rei vindicat.*

(14. Præscriptio tamen decem, vel viginti annorum cum titulo, et bona fide, aut triginta, vel quadraginta annorum cum bona fide, licet sine titulo, interruptitur per litis contestationem coram iudice competenti factam, non vero per simplicem citationem; l. *Motæ litis* 26, cod. *De rei vindicat.*, cum similibus.

(15. Præscriptio ulterius interruptitur civiliter, quando quis non valens litem contestari, iudicem adit, eique libellum offert contra absentem, seu contra eum, qui aliqua de causa conveniri nequit, et in dicto libello querimoniam producit contra injuste possidentem rem suam; vel si iudex haberi non potest, id facit coram publicis personis, vel ad domicilium rei, ut expresse dicit Glossa communiter recepta in cit. cap. *Illud* 8, De

præscriptionibus, verb. *Interruptio*, per text. in l. *Ut perfectius* 2, cod. *De annoti exceptione*, et l. *Nemo ambigit* 10, cod. *De acquirend. et amittend. possess.*

(16. Item interruptitur civiliter præscriptio per sacrum oraculum, id est per petitorium, seu rescriptum principi porrectum, quando per exsecutorem, seu nuntium postea subsecuta fuit conventio seu citatio; l. *Sicut in rem* 3, cod. *De præscriptione* 30 vel 40 annorum, et expresse Glossa in cit. cap. *Illud* 8, De præscriptionibus, verb. *Interruptio*, ubi insuper plura alia subiungit, quibus dicit civiliter interrupti præscriptio.

(17. Præscriptio sive naturaliter, sive civiliter sit interrupta, cessante impedimento, seu causa interruptionis, potest denuo inchoari a bonæ fidei possessore: dummodo nova, seu a tempore cessantis interruptionis computanda præscriptio instituat; Covarruv., in cit. reg. *Possessor* 2, De regul. juris in sexto, § 12, n. 6 et 7; Pirrhing, *loc. cit.*, num. 138; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 218, et seqq. et alii communiter, per text. in lege *Sæpe quidam* 9, De præscriptione 30 vel 40 annorum.

(18. Beneficium, seu remedium restitutionis in integrum conceditur minoribus viginti quinque annis, et ecclesiis, aliisque piis locis adversus præscriptionem etiam longissimi temporis 30 vel plurium annorum completam et finitam, idque intra quadriennium computandam a die præscriptionis completæ et cognitæ; l. *Unic.*, cod. *Si adversus usucapionem*; l. *Supervacua* 7, cod. *De temporibus in integrum restitutionis*; . *Sancimus* cod. 5, *In quibus causis in integrum restitutio necessaria non est.*, cap. *Ecclesia* 1, De restitutione in integrum in 6, cum similibus.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(19. Gravissima hic se offert quæstio, utrum ad dormitionem possessionis sufficiat sola hostilitas, vel belli status, an requiratur præterea *justitium*, quod scilicet curia sileat? Sunt qui tenent requiri simul *justitium*. Ita censuit Rota, in *Cracovien. venditionis* 15 Martii 1752, § 5, *Cor. Illustris. Figueroa*, et 11 Mart. 1754, § 6, *Cor. bon. mem. Vicem*. (20. Alii vero distinguunt inter jus civile, et canonicum, et secundum hoc sufficere autumant solum hostilitatem, non item secundum hoc. (21. Meo iudicio rectius Bohemerus, exercit. 25, c. 2, § 16, et plur. seqq. distinguit usucapionem inter ac præscriptionem, et in illa, quæ non tam fundata est in odio ejus, qui intra illud tempus non egit, quam in favore publicæ utilitatis, tum ejus, qui bona fide et justo titulo per tempus idoneum rem detinuit, requirit simul *justitiam*: in hac vero, quæ unicum habet fundamentum in pœna ejus, qui cum experiendi potestatem habuisset, experiri neglexit, minime *justitium* requirit.

(22. Notabilis est differentia inter casum, quo dormit præscriptio, et casum, quo interruptitur eadem præscriptio. Priori casu, sublato impedimento, tempus prius cum

sequenti coniungitur, posteriori vero casu prius tempus penitus non prodest, sed de novo est inchoanda præscriptio: Petr. Barbosa, in l. 2, § *Imo numer.*, 27, cod. *De præscript. 30 vel 40 ann.*; Zanger., *De excep.*, part. III, cap. 10, n. 157, et plur. seqq.; Stryk., *Jurid. dissert.*, volum. IX, disput. 22, c. 1, § 30; Dunod, *De præsc.*, lib. I, cap. 9.

(23. Æque notabilis est differentia inter interruptionem naturalem, et interruptionem civilem præscriptionis. Interruptio enim naturalis prodest omnibus contra quos præscriptio currebat; civilis vero ei tantum prodest, qui actum interruptionis exercuit, nec ipsius personam egreditur; Bruneman, in l. 7, § 6, fer. per tot., cod. *De præscript. 30 vel 40 annor.*; Stryk., *Juridic. dissert.*, vol. IX, disp. 13, c. 4, § 4, ubi et de eo agit, an interruptio contra principalem facta noceat fidejussori.

(24. Quibus modis dormiat præscriptio, tradit Dunod, *De præscript.*, lib. I, c. 10.

(25. Et quibus modis præscriptio, tum naturaliter, tum civiliter interruptatur, optime explicat Stryk, *Juridic. dissert.*, volum. IX, disp. 13, cap. 2 et 3, utrobique per tot.

§ V.

Completo tempore legis.

Quoad ea quæ concernunt tempus ad complendam præscriptionem rerum, servitutum, et actionum requisitum.

(1. Res mobiles privatorum cum titulo et bona fide præscribuntur, seu usucapiuntur triennio; res autem immobiles per longi temporis possessionem, id est decennio inter præsentem, et viginti annis inter absentes. *Communis*, textu expresse in § 1 *Institut.* De usucapione, ibi: « Cautum est, ut res quidem mobiles per triennium; immobiles vero per longi temporis possessionem (id est inter præsentem decennio, inter absentes viginti annis) usucapiantur: » et concordat l. *Unic.*, cod. *De usucapione transformatanda*, contra jus antiquum requires ad præscriptionem rerum mobilium unum solum annum.

(2. Pro rebus mobilibus veniunt omnes illæ quæ loco moveri possunt, ut pecunia, vestis, navis, animalia, et hujusmodi; pro rebus autem immobilibus veniunt illæ quæ loco non moventur, ut domus, agri, vineæ, et hujusmodi.

(3. Nomine rerum *immobilium* veniunt etiam beneficia, census, redditus, juspatronatus, ususfructus, et servitutes, privilegia, et similia. Ista enim omnia fixa manent, et instar immobilium afferunt fructum, et commoditatem suam. Sic Lessius lib. II, cap. 6, num. 25; Pirrhing, lib. II *Decretal.*, tit. 26, num. 89; Reiffenstuel, *ibid.*, num. 150, et alii communiter, per text. in Clement. *Exivi*, § *Cumque annui redditus*, De verbor. significat., ibi: « Cumque annui redditus inter immobilia conseantur a jure. »

(4. Jura autem, et actiones, si sint ad res immobiles, veniunt nomine immobilium;

si vero sint ad res mobiles, veniunt nomine mobilium, per text. in cap. *Accessorium* 42, De regul. juris in 6, ibi: « Accessorium naturam sequi congruit principalis. »

(5. Præsentem quantum ad propositum dicuntur illi, qui habitant in eadem civitate, vel in ejusdem territorio; absentes vero dicuntur illi, qui habitant in diversis civitatibus, seu in territorio diversarum civitatum. *Communis*, per textum in l. *Cum in longi temporis præscriptio* 12, cod. *De præscriptione longi temporis*. Ubi insuper statuitur, quod nihil referat, sive res præscribenda sit pariter in eodem loco, sive diverso, et distante, ibi: « De rebus autem, de quibus dubitatio est, nulla erit differentia, sive in eadem provincia sint, sive in vicinia, vel trans mare positæ, vel longo spatio separatæ. . . Nihil enim prohibet, sive in eadem provincia res constitutæ sint, sive in iudicio provinciali moveri, et multo magis in hac florentissima civitate; quid enim prodest in ipsa provincia esse possessionem, an in alia? Cum jus vindicationis incorporale est, et ubicunque res positæ sunt, et dominium earum, et vinculum ad dominum, vel creditorem possit reverti? »

(7. Si quis quibusdam annis fuit præsens, et quibusdam aliis fuit absens, tunc unus annus præsentis æquivalet duobus annis absentis, et vicissim duo anni absentis æquivalent uni anno præsentis: unde si quis per octo annos v. g. fuerit præsens, et per duos fuerit absens, alii duo anni debent superaddi præscriptioni decem annorum, quia in tali casu, antequam compleatur dicta præscriptio, debet abesse quatuor annis, quia quatuor anni absentis sunt veluti duo anni præsentis, qui cum aliis dictis octo præsentis constitunt decem annos præsentis requisitos ad præscriptionem decem annorum inter præsentem: et sic dicendum est de cæteris præscriptionibus, per textum expressum in authent. *Quod si quis*, cod. *De præscriptione longi temporis*, ibi: « Quod si quis quibusdam annis præsens sit, quibusdam absens, adjiciuntur ei super decennium tot anni, quot annis ex decennio fuit absens. »

(8. Ab usucapione, seu præscriptione triennali excipiuntur res furtivæ, seu vi possessæ; tales enim res, si prius non redierint ad dominum, vel nisi fur, aut rapiens sit factus hæres domini, non præscribuntur ordinario tempore, nequidem a mediato possessore, § *Furtivæ*, *Institut.* *De usucap.*, l. *Si aliena*, ff. *De usucap.* (9. Unde ut præscribantur a mediato possessore, domino ignorante, requiruntur 30 anni, novel. 119, c. 7. Si autem dominus sciat, et negligat contestari, sufficiunt decem anni inter præsentem, et 20 inter absentes, uti habetur in citat. novel. (10. Ab ipso fure autem, seu per vim possidente, tanquam possessore malæ fidei, nunquam possunt præscribi, per text. in c. *Vigilanti* 5, et c. *Quoniam* 20, De præscriptionibus; et cap. *Possessor* 2, De regul. juris, in 6, ibi: « Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit. »

(11. Si tamen ipsi furi, seu per vim possidenti, supervenerit bona fides; v. g. quia a confessario ei dictum est licite potuisse tunc accipi, vel nunc res retineri, possunt etiam ab ipso præscribi tempore extraordinario, seu longissimo 30 vel 40 annor., si tanto tempore bona fide possessæ fuerint, quia per præscriptionem longissimi temporis purgatur vitium furti, vel violentiæ, quo affecta erat res, et omnis actio exstinguitur, l. *Sicut in rem* 3, et l. *Omnes* 4, cod. *De præscriptione* 30 vel 40 annorum. Vide *supra*, § 2, n. 22 et seq.

NOTA ROM. THEOL.

At si confessarius erraverit, quo jure id retinere poterit?

RESPONSIO AUCTORIS.

Miror non percepisse theologum, quo jure id retinere possit, nempe jure (perspicue a me adducto in mea conclusione) legitimæ præscriptionis cum bona fide, per jura ibi adducta. Debuerat enim scire theologus, quod legitima præscriptio est valida et licita, nedum in foro fori, sed etiam in foro poli, per jura tum civilia, tum canonica a me adducta in hoc art. *De præscript.* a n. 7 ad 9, ubi ultra communem aliorum auctorum, affero ad id optimam rationem Scoti. Si autem confessarius erraverit, sibi consulat. Fur enim, et per vim possidens ratione talis bonæ fidei superventæ rem alienam in utroque foro præscripsit, si tanto tempore ibi adducto bona fide pacifice eam possedit.

(12. Res tam mobiles, quam immobiles privatorum sine titulo, sed cum bona fide præscribuntur 30 annis. *Communis*, per textum in l. *Sicut in rem* 3, cod. *De præscriptione* 30 vel 40 annor., ubi generaliter dicitur: « Si qua res, vel jus aliquod postuletur, vel persona qualicunque actione, vel persecutione pulsetur, nihilominus erit agenti 30 annorum præscriptio mutuanda; » et concordat cap. *Sanctorum* 3, *De præscriptionibus*.

(13. Immobiles Ecclesiæ Romanæ non præscribuntur nisi spatio 100 annorum; cap. *Nemo* 16, caus. 16, q. 4, c. *Ad audientiam* 13, et cap. *Cum nobis* 26, *De præscript.*, cap. *Si quis* 2, eod. in 6, authent. *Quas actiones*, cod. *De sacrosanctis ecclesiis*; ubi expresse habetur: « Quas actiones, alias decennales, alias vicennales, alias tricennales præscriptio excludit; hæc, si loco religioso competant, quadraginta annis excluduntur: usucapione triennii, vel quadriennii præscriptione in suo robore durantibus; sola Romana Ecclesia gaudente centum annorum spatio, vel privilegio. » (14. Pro rebus autem Romanæ Ecclesiæ intelliguntur res Ecclesiæ Lateranensis, et Romani Pontificis bona, ac patrimonium; ut explicat La Croix, l. III, part. II, n. 533, et alii passim.

(15. Res immobiles aliarum ecclesiarum inferiorum, et aliorum locorum piorum, seu causarum piarum præscribuntur spatio annorum 40, cap. *De quarta* 4, cap. *Ad aures* 6, cap. *Illud autem* 8, et cap. *Quia judicante*

9, *De præscriptionibus*, ubi clare habetur decisum, quod contra Ecclesiam, jura episcopalia, decimas, et hujusmodi quadraginta annorum spatio præscribatur, et concordat cit. Authent. *Quas actiones*, cod. *De sacrosanctis ecclesiis*, ibi: « Hæc, si loco religioso competant, quadraginta annis excluduntur. »

(16. Monasteria quædam, et ordines quidam sunt specialiter privilegiati, ut majori, quam quadraginta annorum præscriptione gaudeant. Sic præscriptione 60 annorum gaudet ordo S. Bened. ex concessione Eugenii IV, et ordo S. Salvatoris ex concessione Julii II. Et præscriptione centenaria gaudent Cistercienses, et ordines Mendicantes, et alii communicantes cum eorum privilegiis ex concessione eis facta a diversis Summis Pontificibus, ut testantur Engel, l. II *Decretal.*, tit. 26, num. 33, et alii plures apud ipsum, Reiffenstuel, *ibid.*, n. 166; La Croix, *loco cit.*, n. 534, et alii passim; et Rota recent. part. XV, dec. 285, n. 17, ubi expresse dicit, quod centenaria præscriptio requiritur ad præscribendum adversus regulares.

(17. Res mobiles ecclesiarum, aliorumque piorum locorum (ademptis tamen pretiosis) cum titulo et bona fide præscribuntur, seu usucapiuntur triennio. Sic communior, et probabilior doctorum sententia, cum Innocent. in c. 1, *De in integrum restit.*; Dyno, in regul. *Possessor.*, n. 18, *De regul. juris*, in 6, ex professo hanc questionem examinante; Covarr., part. II, in d. regul. *Possessor.*, § 2, n. 3; Lessius, lib. II, cap. 6, n. 22; Layman, lib. III, tract. 1, cap. 8, n. 13; Pirhing, lib. II *Decr.*, tit. 26, n. 99; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 171; Zoësius, *ibid.*, n. 5; Sanig, eod. cap. 5, n. 1; Vallens., eod. § 6, n. 3; La Croix, lib. III, p. II, n. 529, et plures alii apud ipsos; et ratio hujus communioris et probabilioris sententiæ desumitur ex authent. *Quas actiones*, cod. *De sacrosanct. eccles.*, ubi locis religiosis conceditur privilegium præscriptionis quadragenariæ, sed cum addita limitatione illis verbis: « Usucapione triennii, vel quadriennii præscriptione in suo robore durantibus. » Et hæc authentica est per Gratianum inserta juri canonico in c. *Placuit* 15, § *Quas actiones*, caus. 16, q. 4, atque ab Ecclesia recepta, uti volunt Layman, Vallensis, Pirhing, Reiffenstuel, et alii hujus sententiæ patroni contra plures alios, quos adducit Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 169 et seq., cum suis fundamentis, quæ deinde solvit n. 171 et seq. (18. Immo La Croix, *loco cit.*, n. 529, insuper addit, quod neque Romana Ecclesia in mobilibus habet speciale privilegium præ aliis, ut tenent Glossa, Molina, Layman, Sanchez, Castrop., Lugo, Haun., contra Silv., Covarruv., Panormitan., Fel., Bald., Less., et alii.

(19. Bona privata, et patrimonialia clericorum præscribuntur tempore ordinario, sicut bona laicorum: Glossa in cap. *Possessiones* 16, q. 4, verb. *Episcoporum*; Covarruv., lib. I *Variar. resolut.*, cap. 4, n. 3 et

4; Pirhing, *loco cit.*, n. 95; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 167; Abbas, in cap. *Sanctorum* 3 *De præscriptionibus* in 6; Barbosa, *ibid.*, n. 2, testans de communi; La Croix *loco cit.*, num. 535, ubi dicit, sic sentire omnes. Privilegium enim quadragenariæ præscriptionis, quamvis sit concessum ecclesiis aliisque locis piis ex dictis, et juribus adductis *supra*, n. 15, nullibi tamen reperitur concessum clericis, horumque bonis patrimonialibus. Quinimo oppositum videtur innuere textus in cap. *Sanctorum* 3, *De præscriptionibus*, ut explicat Gloss. in c. cap. *Possessiones* 16, q. 4, vers. *Episc.*, adeoque eorum bona patrimonialia præscribuntur tempore ordinario, sicut bona laicorum.

(20. Bona etiam mobilia fisco sæculari propter delictum addicta, et per sententiam jud. incorporata præscribuntur spatio 40 annorum. Sic Bartol., Panorm., Covarr., Molina, Laym., Silv., Lugo, Illung, et alii ex l. *Omnes* 4, et l. *Competit.* 6, cod. *De præscript.* 30 vel 40 annor. Si autem necdum sint fisco incorporata, præscribuntur spatio quinque annorum, l. *Neque commissum* 2, cod. *De vectigalibus, et commiss.*; Pirhing, *loco cit.*, n. 105; La Croix, *loco cit.*, n. 535, et alii passim.

(22. Bona fisco debita, ex quo vacant ob mortem alicujus decedentis sine legitimo hærede, si necdum sint denunciata fisco, præscribuntur tempore ordinario, sicut alia bona privatorum, cum bona fide, et titulo, mobilia spatio trium annorum; immobilia spatio decem, vel viginti annorum, et sine titulo cum sola bona fide spatio triginta annorum, l. *Quamvis* 18, juncta Glossa *ibid.*, verb. *Diutina*, *De usucapionibus*; Pirhing, *loco cit.*, n. 105, et alii passim. (23. Si autem talia bona sint fisco denunciata, et tamen nondum ab eo occupata, tunc præscribuntur adversus fiscum quadriennio cum titulo, vel etiam sine illo, sed cum bona fide, l. 1, cod. *De quadrienn. præscript.*, et l. *Intra* 10, ff. *De divers. et temporal. præscriptione*. Pirhing., *loco cit.*, et alii passim.

(24. Quamvis servitus mere personalis, qua tollitur libertas hominis, nullo unquam tempore possit præscribi, ut tenet communis doctorum, per text. in § *Sed aliquando*, inst. *De usucapionibus*, l. *Usucapionem* 9, ff. *De usurpationibus et usucapionibus*, et l. *ultim.*, cod. *De longi temporis præscriptione, quæ pro libertate*; (25. tamen servitus personalis exstinguitur per præscriptionem, si servus bona fide etiam sine titulo per 20 annos gesserit se ut liberum. *Communis*, per text. in cit. l. *ultim.*, cod. *De longi temporis præscriptione, quæ pro libertate*, et Glossa, *ibid.*, verb. *Bona fides*, et verb. *Per* 20. Vide *supra*, § 1, n. 2 et 3.

(26. Servitus mere realis, seu quæ a re debetur rei tam affirmativa, quam negativa, tam rustica, quam urbana, sive sit continua, vel quasi continua, uti est servitus oneris ferendi, stillicidii, tigni immittendi, aquæ ductus, et hujusmodi, sive sit discontinua, cujus usus per intervalla est, uti est servitus itineris per fundum alienum, du-

cendi currum, et hujusmodi cum titulo, et bona fide, præscribitur spatio decem annorum contra præsentem, et 20 contra absentem, l. *Cum in longi temporis præscriptione* 12, cod. *De præscriptione longi temporis*; neque requiritur scientia et patientia ejus, contra quem præscribitur, quando adest titulus. Sic ex communi docent Lessius, lib. II *De justit. et jure*, c. 6, n. 28; Pirhing., *loco cit.*, n. 119.

(27. Servitus mere realis, si sit continua, vel quasi continua cum bona fide, licet sine titulo, sciente tamen, et patiente adversario, contra quem fit præscriptio, præscribitur spatio decem annorum inter præsentem, et 20 inter absentem. *Communis*, per text. in l. *Si quas actiones* 1, et l. *Si aquam* 2, cod. *De servitutibus*, et l. *Si quis* 10, ff. *De servit. vindic.* Et ratio est clara, quia si dominus, seu is, cujus interest, sciat, et permittat tanto tempore rem suam alteri servire, ut v. g. tolerando tignum alterius suo parieti immissum, vel aquæductum in suo fundo factum, et similia, censetur hoc jus sponte cedere, adeo, dummodo interveniat bona fides, non est opus alio titulo ex parte præscribentis.

(28. Si autem servitus sit discontinua, uti est servitus itineris, seu viæ per fundum alienum, ducendi currum, et hujusmodi, non præscribitur absque titulo, nisi tempore immemorabili. *Communis*, per text. in l. *Servitutes* 4, ff. *De servitutibus*. Et ratio disparitatis est evidens, quia servitus discontinua ab altero prætensa, cum ejus usus sit rarus, et valde interruptus, non potest ita facile adverti a domino fundi, ut eam possit impedire; at vero in servitute continua, vel quasi continua, ejus usus facile advertitur, cum sit continuus, vel quasi continuus, adeoque dominus potest facile eum impedire, si velit, et si non impediat, censetur sponte cedere.

(29. Servitus mista, quæ a re debetur personæ, ut est usufructus, usus, et habitatio, præscribitur cum bona fide, et titulo, spatio 10 annorum inter præsentem, et 20 inter absentem, sed sine titulo, spatio 30 annorum. *Communis*, per text. in l. *Cum in longi temporis præscriptione* 12, cod. *De præscriptione longi temporis*, in fine.

(30. Actiones civiles, tam reales quam personales, et obligationes, seu debita rerum mobilium, et immobilium, quæ per actiones exigi possunt, præscribuntur regulariter spatio 30 annorum contra creditores cum bona fide. *Communis*, per text. l. *Sicut in rem*, cod. *De præscriptione* 20 vel 40 annor., et l. 1, cod. *De annali exceptione*.

(31. Excipitur tamen ab hac regula actio hypothecaria, quia si res hypothecata possideatur ab ipso debitore qui eam oppignora- vit, vel ejus hæredibus, non præscribitur contra creditorem nisi annis 40 computandis a die, quo debitum solvendum erat. *Communis*, per text. in l. *Cum notissimi* 7, cod. *De præscriptione* 30 vel 40 annor. (32. Si autem res hypothecata possideatur cum titulo, et bona fide ab aliquo alio, qui nec